

- PY.* conservam ! vix me contineo quin involem in
860 capillum, monstrum : etiam ultro derisum advenit. 20
- TH.* abīn hinc, insana ? *PY.* quid ita ? vero debeam,
credo, isti quicquam furcifero si id fecerim ;
praesertim quom se servom fateatur tuom.
- TH.* missa haec faciamu'. non te dignum, Chaerea,
865 fecisti ; nam si ego digna hac contumelia
sum maxume, at tū īdignu' qui faceres tamen.
neque edepol quid nunc consili capiam scio
de virgine istac : ita conturbasti mihi
rationes omnis, ut eam non possim suis 30
- 870 ita ut aequom fuerat atque ut studui tradere,
ut solidum parerem hoc mi beneficium, Chaerea.
- CH.* at nunc de(h)inc spero aeternam inter nos gratiam
fore, Thai'. saepe ex hui(u)smodi re quapiam et
malo principio magna familiaritas 35
- 875 conflatast. quid si hoc quispiam voluit deus ?
- TH.* equidem pol in eam partem accipioque et volo.
- CH.* immo ita quaeso. unum hoc scito, contumeliae
me non fecisse causa, sed amoris. *TH.* scio,
et pol propterea mage nunc ignosco tibi. 40
- 880 non adeo inhumano ingenio sum, Chaerea,
neque ita inperita ut quid amor valeat nesciam.
- CH.* te quoque iam, Thais, ita me di bene ament, amo.
- PY.* tum pol tibi ab īstoc, era, cavendum intellego.
- CH.* non ausim. *PY.* nil tibi quicquam credo. *TH.* de- 45
sinas.